



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 104. Tunc expuerunt in faciem eius. v. 67.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Præscripsit & dedit eam Moyſi, & in ejus ore non eſt inventum mendacium. An in Deum peccavit? ipſe Deum in omnibus glorificavit ſemper, verbo, factis, doctrina, quibus ſana mente nemo contradicere poteſt, vel calumniari. quid igitur mali fecit? ut una clametur reus eſt mortis! dicam, quia cum Caipha Pontifice omnes conſiliarii illi ſtudebant avaritiæ, utilitati propriæ & honori, quam reprehendebat Chriſtus in ipſis. parum curantes Danielis Prophetiam, quâ dicit eum populam qui Chriſtum eſſet occiſurus, fore à Deo reiſciendum, & urbem funditus diruendam, modo ipſi præſenti honore gaudere poſſint, & non cogantur Chriſti diſciplinæ ſe ſubiſcere, qui in eorū oculis & nimis vilis & abjectus apparebat.

Quis mihi det, ut nunquam propriæ utilitati ſic ſtudeam, ut eam præferam communi bono, aut velim propriam dignitatem magis æſtimare, quam Dei mei honorem promovere. Tu ſolus Deus, à quo bona cuncta procedant, largire mihi ut ſic tranſeam per bona temporalia, & ſuam, ut non amittam æterna.

§. 104. Tunc expuerunt in faciem eius. v. 67.

Videte omnes cælites & terrigenæ quid hic rerum geratur. expuerunt Sacerdotes Moſaici & ſeniores populi & Scribæ eorū in faciem illam venerabilem, adorandam, & conſolatione pleniffimam quam tanto deſiderio & ſolatio aſpiciabant prius omnes tribulati, infirmi, obſeſi, pœnitentes, nec non gentiles, dicentes Philippo Joan. 12. Domine, volumus Jeſum videre: expuunt in faciem, illam in quam deſiderant Angeli proſpicere: qua viſa lætantur Archangeli, Throni & dominationes, Cherubin & Seraphim. in hanc tanquam angulum fœdiſſimum & ſordidiſſimum expuunt iſti ſordes ſuas, ſordes magnas ab imo pectore extractas. Legimus ex lib. Num. 12. maximâ fuiſſe ignominiam, ſi Pater ſpuiffet in faciem filij, & tane erat talis conſputatio non aliud quam ſi dixiſſet Pater filio ſuo, ad imaginem meam factus es, ſed pœnitet me. Imaginem & ſimilitudinem meam in te relucentem delere cupio, & ſicut ex me habes eam, ita ex me peſſundari deſidero. Hæc erat tacita Patris filium conſpuentis oratio. quanta igitur ignominia erat ſpuere in faciem Dei? iſtamus hic parumper & horreamus ingratiſtudinem Iudæorū & nequitiam, Conditor & redemptor Jeſus hic ſputo ſuo benedicto linendo oculos cœci, ſanavit, iam pro gratiarum actione ſputo infami & fœdo variorum militum, conſpergitur eius facies benedicta & quali obœcatur.

O Facies ſancta, tole ſplendidior, luna pulchrior, quis te ita fœdavit ut modo agnoſci vix poſſis? Tua peccata, ô homo, quæ ſumpſi in me, ut pro te Patri ſatiſfacerem. Mi Deus, ideo tibi ſunt mille & millies mille grates.

omni momento, humiliter deprecor, ut spatis hisce vilissimis & scedisimis abstergas scedisima mea peccata, ut aliquando illam faciem tuam benedictam videre merear, cum sanctis & electis tuis, in cælo mandatus.

§. 105. Et colaphis eum ceciderunt. v. 67.

Variis modis exaggerat hanc percussione[m] Evangelista dum ait: *Colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt, alii expuerunt, alii velaverunt benedictam faciem*, dicentes prophetiza, quis te percussit? ô quanta hæc petulantia! quanta libido, non ita milites insanunt in castellum, quod eis diripiendum traditur, cum alius diripit, alius comminuit, alius incendit, alius abigit, alius occidit &c. atq; in Christum isti debacchantur, alius eum conspuat, alius capillis trahit, alius velat, alius calumniatur, alius cædit & trudit faciem, caput, collum, pectus, brachia, dorsum, pedes? & ideo tam minutim ab Evangelistis hæc scribuntur, ut sciamus, quanto steterit Christo nostra redemptio, & quantum illi debeamus. Addo, ut toti mundo patefiat Christum abunde implevisse de se dicta Prophetarum maxime Iste 50. ubi dicitur à Propheta Christi personam sustinente; *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus &c.* Denique ut ostenderent, Christum nõ se habuisse iuxta morem veteris testamenti, quo docebatur, *oculum pro oculo, dentem pro dente dandos*: sed iuxta doctrinam suam Novi Testamenti, qua docebat: *si te percussit quis in maxillam, præbe ei & alteram*, ex charitate Christiana, modestia, patientia, humilitate, hinc non percussit Christus, aut ignem de cælo vocavit in vindictam, aut terræ mandavit, ut dehisceret percutientibus se, aut fulmini, ut de cælo trajceret eos, aut naturæ, ut se cohiberet ab influxu consueto, vel ut aridæ manerent manus ut Jeroboamo Regi extendenti manum contra Prophetam, vel Valenti dum vult legem exilij scribere adversus sanctum Basilium, imo subitanea morte omnes punire potuisset ut Core, Dathan &c. sed noluit vindictam, pro nostrâ omnium doctrina, qui talibus Deum quotidie quasi imbre obruimus. & ut ejus exemplo disceremus Christianam perfectionem Novæ Legis, scilicet pati etiam alapas, colaphos, contumelias, iniuriasque pro Dei honore.

SED ô Domine Jesu, video te conspuat, cædi, colaphis impeti, illudi & contumeliam fieri à Judæis insidiantibus & malignantibus corporaliter, sed multo plures mysticè. quomodo verò hoc? nimirum nos infelices Deo fecimus & facimus quotidie, quæ passus est à ministris, nos Christi faciem conspuimus, cum eius Sacramenta contumeliis afficimus, cum imaginem Dei in nobis peccatis deformamus, cum proximum nostrum contemnimus & averlamur, cum religionem Catholicam mali Reformatores, vera deformatores extirpantes, auferentes omne quod Dei memoriam conserva-